



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Ethicè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

bus meis. Posterorum negotium ago. Illis aliqua, quæ possint prodesse, conscribo. Epistol. 7. & 8. Quàm multos à sapientiæ studio impediunt circumvolantes picæ, negotia inquam, quæ faciunt turbæ domesticæ, & harum motrices feminæ. *Beatus ille, qui procul his negotijs.*

V. (e) Apollo Musis præsidet, quia *Sol*, id est, *Dies*, & *Dem* favent studijs; ille lumen oculis; hic menti suppeditat. Testatur hoc Seneca ad Lucilium, epist. 16. Litteræ formant animum & fabricant, vitam disponunt, actiones regunt, agenda & omittenda demonstrant, sedent ad gubernacula, & per ancipitia fluctuum dirigunt cursum. Confirmant hæc sacre sapientiæ antistites: *Diligite lumen sapientiæ* ait Salomon Sap. 6. & Siracides cap. 1. orditur suas ad sapientiam institutiones his verbis: *Omnis sapientiæ à Domino Deo est.* Et Musæ licet virgines sint, non tamen omnis labendi periculi expertes sunt; nam & superbiâ nimium insolescere, & vanitate vilescere possunt. Opus igitur Rectore, & quidem perspicaci, qualis Apollo seu Phœbus est, omnia lustrans, omnia penetrans. Quod nisi fiat, quoties longo vel carmini, vel orationi, vel scriptioni unica deerit syllaba, scilicet *Mens*, seu *judicium*! nihil delicatius concentu, quem profitentur Musæ.

(e) *Apollo seu lumen, Musis est necessarium.*

## SYMBOLUM XXVII.

Proserpina, Cereris filia, à Plutone rapitur.

s. *Metam. Claudianus de Raptu.*

Ethicè.

1. Castitas indiget Custodiâ. 2. Voluptatis lenocinium. 3. Castitatis periculum in hortis. 4. Insidiæ castitatis.

**V**Nica proles erat Cereris, frugum *Dex*; nomine *Proserpina*, flos ætatis & castimonie. Hanc, in Phrygiam abitura parens, reliquit in Sicilia insula, tutissimo, quemadmodum rebatur, munitissimoque loco adversus procos servandam: monitis ei datis, ne quæ se absente prodiret unquam & usquam. Venus, ut est insidiosa juventutis venatrix, cum Virginem vetitis amoribus irretire desperaret, excitavit inferos, & Plutonem ipsum, Erebi regem, in desiderium rapiendæ puellæ accendit.



accendit. Atque ut astus tantò succederet expeditiùs, *Palladem* ac *Dianam* virgines (ne ulla sequior *Proserpinæ* suspicio relinqueretur) adiungit sibi comites, & ad filiam *Cereris*, arci firmissimæ inclusam, se confert. Inveniunt intentam operi, & *Phrygia* pingentem acu. Fiunt ultro, citròque sermones; denique blandis affatibus eò pertrahitur puella, ut cum *Deabus* (quid enim ab his metueret?) prodambularet in prata, vario flore ridentia. Quid multis? dum hilaris & secura sui, comitum ad exemplum omnis generis flosculos legit; res horrenda!

Talia virgineo passim dum more geruntur,  
Ecce repens mugire fragor, conflagrare turres,  
Pronaque vibratis radicibus, oppida verti.  
Causa latet,

Nempe *Palladem* & *Dianam*, magis etiam *Proserpinam*; at non perinde *Venerem* insidiarum autorem.

---- dubios agnovit sola tumultus  
Diva *Paphi*, mistòque metu perterrita gaudet.

O malè fida securitas! Inter violaria & roseta subito se pandit hiatus tellus, apparet terribili forma tyrannus orci, flammanti sublimis effedo:

Diffugiunt *Nymphæ*, rapitur *Proserpina* curru,  
Imploratque *Deas*.

Sed frustra. Nihil ægide *Pallas*, nihil arcu potuit *Diana*;  
Raptor agit currus, & nomine quemque vocando  
Exhortatur equos, quorum per colla, jubasque  
Excutit obscura tinctas ferrugine habenas,  
Pérque lacus altos, & olentia *Sulphura* fertur.

Prò miseram *Proserpinam*, frustra plorantem & quiritantem:  
Exul ad immanes *Erebi* detrudor hiatus,  
Et mihi virginitas pariter, cœlùmque negatur:  
Eripitur cum sole pudor, terris que relictis  
Infelix *Stygio* ducor captiva tyranno:  
O malè dilecti flores, despectaque matris  
Consilia! O *Veneris* deprensæ seriùs antes!

### Ethica.

L. (a) *Ceres* fecit, quod sollicitas, piàsque matres facere par est,  
S. filiat.

(a) *Castitas* indiget custodia.



filiam inclusit arci perquam munita; thesaurus enim est virginitas, & providentissimâ curâ custodiendus. Sed ô nimum sapere, etiam in clausa seris penetralia, inveniunt aditum doli. Vetus dictum est, *nullam sat firmam pudicitia custodiam esse, nisi seipsam tueretur.* De Danaë, Acrisiorum regis filia, supra retulimus, quibus modis ad eam sit illapsus impurus Jupiter. Si non auro, aureis certè verbis ac blandimentis pudicitia expugnatur. Proserpina quàm laudanda fuit, castitatis præsidium à manuum opere, petendo: tam vituperanda est, quòd immemor institutionis maternæ, præbuerit aurem Cypridi, vetita suadenti. Castitas, ut quidam scribit, similis esse debet animalibus illis Apocalyptiis, antè retròque oculatis; Sui sint oculi manibus, ut videant, quid attingant: sui sint oculi pedibus, ut attendant, quò ingrediantur: sint auribus, ut advertant, quid instilletur: sint oculi linguæ, ut perpendant, quid loquantur: sint tergo, ut provideant periculis: sint toti denique corpori, & in ipsis oculis oculi, ut caveant illicita. Tertullianus cap. 10. de pudic. comparat castum cū funambulo, qui tenuissimum funem, pendente vestigio, ingreditur: *Carnem spiritu librans, animum fide moderans, oculum metu temperans, nequa illata carnis vacillatio, animi avocatio, oculi evagatio, de tenore decusserit.*

II. (b) Alterum à seducta Proserpina documentum: *Illecebrosa in campos invitatio.* Nunquam sui secura, præsertim feminarum, prodit castitas; tum verò minimè, cùm ad hortos & flores vocatur; carpitur cum rosis virginitas. Voluptatis dolosè blandientis verba Poëta recentior exhibet, quam ita prosâ loquentem inducit: Quisquis es, quem formosa delectant, subi nostrum nemus, in quo Gratia ludunt, & Gaudia choreas agunt: manat vivi fluminis argentum, totamque Cyprin perluit. Aquæ in amoris orbem confluunt, attritaque pretiosis conchis, musico concentu solvuntur in bullas. Propter ripas felix hortus panditur, refertus aureis malis, sonoras loquacibus nidis volucres delectæ, à Maio & Chloride docentur, enarrant dulcissimè, quidquid didicerint; audias ibi continuò vel propempticon alauda, vel epithalamium philomelæ, vel lessum cygni: pluit floribus primæ ætatis; candida Synthesis liliorum perpetuò durat: etesijs clementibus mulcentur arbores; Zephyrus unicus colonus exercet areolas, & foecundo susurro crispat platanorum nutantia folia; omnia in Venerem vivunt. Succede horto, & fruire delicijs. Ita capitur incautus pudor, & miserè perditur. Jac. Balde in Notis ad lib. 1. Batrachiom. Hoc ipsum Voluptatis lenocinium disertè more suo exponit Ambrosius lib. 1. de Cain.

(b) Voluptatis lenocinium.

c. 4.



c. 4. Ipsa (Voluptas) in medio stans: bibite, inquit, & inebriamini, ut cadat unusquisque, & non resurgat. Ille apud me primus, qui omnium perditissimus: ille meus est, qui suus non est: ille mihi grator, qui sibi nequior. Lenam hanc describens Claudianus, canit:

Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior ulla;  
 Interiùs fucata genas, & amicta dolosis  
 Illecebris, torvos auro circumligat hydros.

De hujusmodi lenocinatricibus Plautus in Trucul. In melle, ait, sunt linguæ vestrae, atque orationes lacteæ; corda in felle sunt sita atque acerbo aceto; è linguis dulcia dicta datis, corde amara facitis. Hoc melle demulla & decerpta Proserpina, in Orci rapaces ungues incidit ibi, ubi timebat minimè; nempe

Carmina cygnorum labentibus audit in undis,  
 Silva coronat aquas, cingens latus omne, suisque  
 Frondibus ut velo Phœbæos submover ignes,  
 Frigora dant rami, varios humus humida flores:  
 Perpetuum ver est. quo dum Proserpina luo  
 Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit,  
 Dúmque puellari studio calathósque, sinúmque  
 Implet, & æquales certat superare legendo,  
 Pænè simul visa est, dilectaque, raptaque Diti.

III. (c) Tanti constitit in memora & hortos, jam olim Cypridi consecratos exisse, & quidem in Dearum ac Nympharum comitatu. Inter flores ò quoties deflorescit pudicitia; dúmque credit rosas & lilia se legere, in Floram ac Floralia delabitur. Violatæ inter violas castitatis non jam fabulam, sed historiam accipe. Matronam forma pariter ac nobilitate præcellentem, absente viro, procax juvenis deperibat. Cùm inflectere pudicam non promissis, non blanditiarum frequentatione posset, vetulam convenit consilium capturus. Hæc lenocinij præmiò auditò, ad Sollicitatam pergit: Inter viridaria colloquitur; unà secum catellam multo pipere, sinapisque, post longam esuriem devorato, lacrimantem adducens. Miranti, sciscitantique fletùs in catella causam, mentitur, hanc filiam fuisse suam, nunc (inaudita in caniculam metamorphosi) veterem culpam luere, quòd amoris mutui pertinaci repulsa, juvenem amatorem ad necem adegisset. Caveret proinde pudicissima, ne sideribus iratis, in eadem catellæ fata incideret, quæ duriem proco eandem exhiberet. Suasit simplici, persuasit improbæ, di-

S 2

clavit

(c) Castitatis periculum in hortis.



etavit flagitium sceleratæ, nefanda Dipsas. Bisselius in delicijs Veris. Et hoc in hortis, de quibus gravissimus Petrarcha Dialog. 18. Videas, inquit, honestæ pariter, inhonestæque voluptatis studiosos umbrosis secessibus delectari. Nam & ingenium in alijs locus excitat, & alios ad lasciviam exhortatur. Nec de nihilo est, quod summus Orator dum infesto reo adulterium obijceret, amœna, in quibus commissum esset, loca descripsit, quasi ad flagitium stimulos. Secretum Tiberij viretum, & secessum Capræ ( insulæ ) quis ignorat? pudet, pigetque exsequi, quibus probris senex ille hircinus ea loca intecerit. Hæc Petrarcha Ad Proserpinam redimus, de qua Poëta:

Hæc sociat flores, sesèque ignara coronat,  
Augurium fatale thori,

Videlicet *Platonij*, quem flores legendo & corollas nectendo sibi conciliavit. His fertis, tanquam hederâ, venalis fit pudor. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant. Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra*, inquit lascivi juvenes illi Sap. 2. Merito profecto timent marcorem floribus suis: citò namque præterit voluptas, & quod emortuis rosis contingit, in fimum desinit. Nec frustra Venerem rosis coronabant Prisci, quia cum rosis conjunctæ spinæ, nunquam non puncturæ in orciniano thalamo. Rosa, si fas est fidem adhibere Poëtis, primitus candebat, nec antè rubuit, quàm sanguinem è pede Cypridis spinam calcantis, traxit. Hos aculeos figit in subito sibi pectore Venus. Rubent, inquit Fulgentius, impudici verecundiæ opprobrio; punguntur peccati aculeo. Quantum discriminis attulerit hortus Susannæ, SS. litteræ testantur.

IV? (d) Admonet insuper hæc fabula pravæ societatis cavendæ. Deæ ac Nymphæ, Proserpinæ comites, miseram puellam, in retia Plutonis, velut illices aves traxerunt. Haud novum est hoc aucupandi genus, cuius sapiens meminit Prover. 7. *Ecce occurrit illi mulier ornata meretricio, preparata ad capiendas animas.* Et subdit: *statim eam sequitur (juvenis) velut si avis festinet ad laqueum, & nescit, quòd de periculo animæ illius agitur.* Hæc nassæ & laquei verbis, oculis, capillis, & lascivo corporis ornatu tenduntur. Sic enim lena in his aucupijs exercita apud Comicum:

---- hic noster quæstus aucupij simillimus.  
Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum,  
Aves alluescunt, necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum;

(d) *Insida Castitatis.*

Sapè



Sæpe edunt: Semel si sunt captæ, rem solvunt  
Aucupi. Plautus in *Asin.*

Quod si cantus accesserit, notum est illud Martialis:  
Non tantum calamo, sed cantu fallitur ales,  
Pallida dum tacita creſcit arundo manu.

Ejusmodi aucupes sunt juvenuli citharædi, plateas obeuntes, & castitatem fidibus expugnantes. Ejusmodi aucupatrices sunt juvenulae, unguento delibute, quasi columba ad fenestras *Ila.* 60. Scilicet prospicientes, & prætereuntes in odorem, imò fetorem impuræ cupiditatis allicientes; donec, quod Proserpina experta est:

Eripitur cum sole pudor, cœloque relicto  
Infelix stygio raptatur præda tyranno.

## SYMBOLUM XXVIII.

Iambos puer in stellionem mutatur.

*s. Metam.*

Ethicè.

1. Procacitas & petulantia puerilis. 2. Pueri indulgentius non habendi. 3. Stellionis natura cum nequam puero comparatur.

Ceres amissam Proserpinam filiam per omnes terras atque maria indefesso quærens studio, tandem tot itineribus, & labore fessa, delata est ad humilem casam, pulsatisque foribus, prodeuntem anum poposcit frigidam, restinguendæ siti per tanta viarum spatia collectæ. Hospitalitatis non immemor anicula, lympham roganti promptiore magis animo, quàm manu exhibet; (longius enim distabat puteus, anili gressu tardius adeundus) loco frigidæ suppetebat dulcis quidam liquor, è melle & polenta seu farina hordeacea, temperatus. Sapuit is haustus sitibundæ Divæ, cœque paulò liberalius ora proluit. Conspicatus hoc *Iambos*, petulantis & impudentis linguæ puer, non satis habuit cachinnis excipere bibentem, insuper convitia addidit, & peregrinæ Dææ intemperantiam exprobravit. Non tenuit iracundiam Ceres, quod reliquum erat in poculo, in faciem irrisoris effudit. Et ecce, quot guttis, tot maculis os improbum scurræ conspersum est, subitoque in stellionem bestiolam, è lacertarum genere venenatam transijt.

S 3

Ethica.